



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Quàm conueniens sit, malas esse mulieres?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Ex quibus testimonijs videmus, nequaquam nullas esse feminas bonas, tametsi Tullius dixerit: *Femina nulla bona est.* Salomon sapientior Cicerone dixit: *mulierem fortem quis inueniet?* non tamen dixit, nullam omnino inueniri posse, eo quidem loco, alibi autem eò clariùs ait: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Esto non inuenit ille, inuenit tamen alius. Quanquam planè oportet, valde raram auem esse feminam bonam aut fortem, si Salomon nullam inuenit, cui fuerunt *uxores quasi regina septingenta, & concubina trecenta.* Eiuscemodi ergo loquendi modis multitudo, non vniuersalitas malarum, mulierum significatur. Verum enim est, in sexu fragili, rariùs *fortem* inueniri, si qua igitur fortis est, eam ipsa raritas facit cõmendatiorem. Itaque qui talem nactus est, meritò habet chariorem, Numiniq̃ue gratias meminit: magno enim beneficio affectus est, & quia ferà *pestimã* caret, & *omni malo peiore malo*; & quia talem sortitus est, quæ non sit *domus tempestas*: sed quæ possit tempestatem omnem vultu suo patientiaque serenare; quæ, vt Comicus loquitur, *ingenio est bono, cui malè faciundi, cum est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.* Denique, vt Menander pronunciat,

Virtutis est penu generosa femina.

Et secundùm Hippotheontè: *Possessio bona viro est uxor beneuola.*

Non splendor auri, non vis regni, non opum

Tantas voluptates fert luxus aut decus,

Quantas viri boni atq; femina pia

Mens iusta semper & voluntas optima.

Quòd si igitur & bonæ sunt feminæ, & malæ, atque ex vtrisque magnæ nascuntur vtilitates, quis Deum accuset, qui hanc, in mundo, finit esse tam vtilem varietatem? Sicut nox & dies, hiems & æstas; dulce & amarum; frigidum & calidum; graue & leue; ignis & aqua, & quæ alia sibi aduersantur, necessaria sunt mundo; ita necesse est, vt neq; homines omnes vnus sint ingenij; alioqui quis excerceretur, si nemo esset, qui excerceret? Non tantùm ficedulas, sed & vpupas natura produxit. Profunt viperæ, cur non prodesse malæ feminæ? Multi certè lurcones plus abligurirent, nisi timerent matrem familias, domi

V I.

Pron. 31. 10.

Eccl. 7. 29.

3. Reg. 11. 3.

V II.

cum baculo, excubantem. Deniq; vt contraria contrarijs commendentur, in bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpa est.

Sophocl. in
Phœdra.

Certè malum nullum vxore est maius mala:

Sicut bonum nullum vxore est maius bona:

Vtrumque narrat hoc expertus optimè,

ait Sophocles. Quare, sicut in ceteris rebus, ita & in coniugibus contraria inueniuntur. Vnde, pro communi more Mundi, vt rectè Menander ait:

Haud nuptijs est omnibus felicitas:

Comes omnibus nec rursus infelicitas:

Sed prout vxor contigit bona, aut mala.

VIII

Illud quæstionem habet, possitne huic malo remedium inueniri, aut ex vxore mala bona fieri? Varijs id modis potest fieri. *Eléctione bona; Exemplo bono; Verberibus bonis; bona denique Patientiâ.* Nam vt retrogrado ordine hæc rerexam, vel vxor mala etiam bona est ad patientiæ coronam. Hoc vltimum remedium est, qui malè elegit, qui malus ipse exemplum bonum esse non potest, qui neque blanditijs, neque sauitijs potest domare sauiam coniugem, assuescat eam tolerare, &, pro cilio, illam ferat. Hoc Varro monuit, *Vitium*, inquit, *vxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, vxorem commensuram prestat; qui fert, sese meliorem facit.* Huc facit illud Pauli: *Alter alterius onera portare*, sicut Christus onera & peccata Ecclesiæ suæ sponsæ, quam sanguine suo expiauit. Laudabile exemplum Laërtius & Gellius refert de Socrate, quo scribente, vxor mensam euertit; &, ad iurgia grauitè & prudenter tacente, aquæ poculum in caput eius infudit. Quid ille? *Haud ignorabam*, inquit, *post tonitrua, pluiam secuturam.* Ad quem Alciabiades: *Quomodo*, inquit, *perfers hanc rixosam vxorem, nec dano eijcis?* *Qui onis vesci vult*, ait Socrates, *glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, vt foris melius exercere queam.*

Varro in Sa-
tyra Menip-
pæa.

Laërt. in vit.
Socr. Gell. l. 1.
c. 17.

IX.

Istud quoque in medicinæ locum nonnulli adhibent, vt iuxta illud *Nux, asinus, mulier, &c.* in epistolis obscurorum virorum, suadeant *mulieres malas esse baculandas.* Alij aiunt

conio